



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 179. Dissidia Felicem inter & Cardinales suos ob quintum, & decimum denarium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

bus nec ab illo momento ultra Basileæ  
limina salutantibus.

Sacra. XV.  
A.C. 1441.

### §. CLXXIX.

*Dissidia Felicem inter, & Cardinales  
suos ob quintum, & decimum  
denarium.*

Testantur Acta Patricii, subortam fuisse  
controversiam Felicem inter & Car-  
dinales suos. Occasionem litis præbe-  
bat facultas eidem data, qua ex omnibus  
beneficiis per quinquennium quintam, &  
ceteris subsequentibus annis decimam  
partem percipere posset. Horum fru-  
ctuum medium portionem sibi deberi con-  
tendebant Cardinales, Sessionis XXIII.  
Decreto, necnon alteri Nicolai IV. Con-  
stitutioni suffulti. Ex adverso Felix Car-  
dinalium postulata æquitatis legibus ad-  
versari dicebat, caussatus, se immensum  
expensarum onus sustinere coactum fuis-  
se, quin tamen vel obulum ex Romanæ  
Ecclesiæ redditibus perceperisset; addidit,  
sibi ex solo Sabaudiæ Ducatu quintum  
obvenisse denarium, cuius tamen par-  
tem ipsi Curiæ Ministri sibi vendicassent,  
eam pro sua sustentatione sibi debitam  
afferentes. Cum multum temporis ejus-

*Aug. Patric.  
Hist. Conc.  
Basil. &  
For art. 125  
sub finem to.  
13. Concil.*

*Hist. Eccles. Tom. XXVII. T t modi*

Sæcul. XV. modi altercationibus absumeretur, nihil  
A.C. 1441. omnino hac super re decisum fuit.

## §. CLXXX.

*Postulata Felicis ad Synodum.*

**S**ub idem tempus pari quidem pertinacia, feliciori tamen successu dirempta servebat disceptatio, cum a Basileensibus postularet Felix, ut sibi, quoniam alias ex Pontificatus sui proventibus nil omnino acciperet, ad dignitatis suæ onera sufferenda unam concederent Ecclesiam, monasterium unum, unumque aliud beneficium in Sabaudiæ Ducatu, nomine Synodi tamdiu obtainienda, donec potiorem ex Romanæ Ecclesiæ bonis partem recuperaret. Basileenses circa hoc Felicis postulatum diu deliberabant: ægerrime tamen hunc ei favorem non nisi summis, quos Felix habebat, amicorum precibus devicti, post maximam animorum contentionem concedebant. Præterea statuebant, Felicem reservationibus, ut vocant, in Sessione trigesima prima stabilitis potiri posse: Cum vero frequentes afferrentur querimonias adversus illos, qui literas Apostolicas expediri solent, quod pro suis laboribus immodicas exigerent pecunias, hoc super negotio